

subiecta ad omne mandatum, siue, ad omne eius beneplacitum, vt vera obediens si-
lebit, non contradicet, non murmurabit.

II. Nam & ipse Deus meus, & salutaris
meus; susceptor meus, non mouebor
amplius.

Non solum, inquit, ab ipso pendet salus
mea, sed ipse est Deus meus, & salutaris
meus. In hebræo pro voce, Deus, est, tsur,
quod propriè petram, siue fortitudinem
significat. Itaque sensus est, Ipse Deus mihi
in hac vita est petra, ac robur, in alia erit
Salus mea; in vtraque, Susceptor meus est,
quippè qui nunc suscipit protegendum,
tunc suscipiet coronandum. Ideò non mul-
tum mouebor, non nutabo, sed fortis per-
manebo, quamuis tentationibus quatiar.
Illud, amplius, vt ex hebræo cognoscitur,
non significat, deinceps, aut in posterum,
sed multum, siue valdè.

III. Quousque irruitis in hominem? in-
terficitis vniuersi vos: tamquam parie-
ti inclinato, & maceriæ depulsæ?

Postea quàm de se locutus est, conuertitur
ad deplorandam stragem animarum,
quam per arma variarum concupiscentia-
rum maligni spiritus quotidie faciunt. Verè
enim innumerabiles sunt homines, quos
dæmones deiiciunt in peccatum, quod est
mors animæ, per auaritiam, ambitionem,
luxuriam, iracundiam, inuidiam, & a-
lias eiusmodi passiones. Itaq; indignabun-
dus aduersus malignos spiritus, dicit, Quo-
usque irruitis in hominem? & quia vox he-
braica propriè, insidiari significat; intelli-
gimus, Prophetam per, irruere, significare
voluisse, irruere per desiderium, & astu-
tiam, vt sensus sit, Quousque non cessatis,
insidiando generi humano irruere in ho-
minem impetu astutiæ, & insatiabilis desi-
derii vestri: Interficitis vniuersi vos, id est,
vndiq; stragem editis animarum vniuersi
vos maligni spiritus diuersis quidem in lo-
cis, & modis variis, sed ad malefaciendum
coniuncti. Tamquam parieti inclinato, &
maceriæ depulsæ. hic subintelligitur ver-
bum accommodatum, vt sensus sit, vim fa-

citis humano generi ex peccato originis
fauciato, & ad malum prono, tamquàm pa-
rieti inclinato, & parieti non solido, sed ex
luto, & paleis cõposito, vt maceria potius,
quàm murus dici possit. Quibus verbis mi-
ro modo descripsit Propheta, tum Dæmo-
num potentiam, & crudelitatem erga ge-
nus humanum, tum debilitatem & fragili-
tatè ipsius generis humani. Verè enim ho-
mines post corruptam naturā similes facti
sunt maceriæ impulsæ, & inclinatæ, quæ
facillimè deiici potest; cum & fragiles sint,
& propensi ad malum ab adolescentia sua,
vt dicitur Genes. 8. proinde meritò clamat
Apostolus, Infelix ego homo, quis me libe-
rabit de corpore mortis huius? & mox ad-
dit de potentia gratiæ, Gratia Dei per Ie-
sum Christum Dominum nostrum. Ro. 7.

Verumtamen precium meum cogi- IV.
tauerunt repellere, eucurri in siti, ore
suo benedicebant, & corde suo male-
dicebant.

Reuertitur vir iustus ad causam, vnde
digressus erat ad apostrophem contra ini-
micos, atque ostendit, finem hostibus spiri-
tualibus propositum, dū iustos impugnat,
esse, vt priuent eos æternis honoribus, quos
videlicet illis inuidet, quoniam ipsi inde
culpa sua exciderunt. Verumtamen, inquit,
precium meum cogitauerunt repellere; id
est, ideò tentant, ideò impugnant, ideò cõ-
cupiscentias excitant; vt precium, quo re-
demptus sum, repellant à me, & dignita-
tem, atque honorem illum magnum æter-
næ gloriæ mihi auferant. Sed ego contra,
eucurri in siti, id est, tanto ardore eucurri
ad brauium supernæ vocationis, quanto
illi cucurrerunt ad illud à me repellendum.
Ore suo benedicebant, & corde suo male-
dicebant, id est, ore suo blandiebantur hor-
tantes ad voluptates vitæ præsentis, tam-
quàm res bonas, atq; vtilis: atq; interim cor-
de maledicebāt scientes, eas ipsas volupta-
tes venenum esse animæ, atq; ad impediē-
dam lætitiā sempiternam instrumēta ef-
se aptissima. In hebræo, vt nunc legitur se-
cundum puncta Rabinorum, sic habetur,

T t 2

Verum-